

1509 runt, atque inter se ita diviserunt, ut qui velocioribus equis uterentur, eorum quisque ejus pecuniæ partem ferret: ut si hostes in reditu eos adorirentur, reliqui prælium committerent, impetumque sustinerent; ii se fuga hostibus eriperent, atque in oppidum contendere perseverarent. Epirotas autem equites Lucius Bononiensis cum equitibus gravioris armaturæ ducentis, paucis est post horis subsequutus, ut cum illis revertentibus se conjungeret. atque ut hostes, si se adorirentur, eluderet, duos magnopere valentes mulos sacculis arenæ plenis ad speciem atque similitudinem pecuniæ dorso impositis medio in agmine secum duxit, qui quidem muli magno ei usui fuerunt. hostes enim per exploratores de ea equitum reipublicæ profectione certiores facti, medio fere in itinere ingenti equitatu circunfuso ita se undique in nostros redentes intulerunt, uti iis qui stipendum ferebant, facultas fugiendi non daretur; sed omnes peraque se se defendere, manusque conserere cogerentur. Verum enimvero ubi illos in mulis sacculos hostes medio in prælio videbunt, eam illam esse prædam, quam petebant, rati, magna se pars ad eos capiendos convertit, ut reliquis minus negotii ad se defendendos relinqueretur. Epirotæ autem qui cum mulis erant, neque numos ferebant, ut hostes longissime ab reliquis abducerent, quemadmodum Lucius initio constituerat, fugæ se sinistrorum per campos una cum illis raptim dederunt: quos quidem hostes plura passuum millia consequuti, tanta celeritate uti tamen non potuerunt, ut eos assequerentur: quoad emissus oppido ab legatis id futurum opinantibus equitatus recentissimus saluti atque præsidio illis fuit. Lucius ea de re atque consilio magnam ab legatis atque ab omnibus laudem, optimum sui laboris fructum, tulit. Milites deinde Hispani LX. ex Maximiliani exercitu perfugæ in oppidum a legatis recepti sunt, stipendumque eis datum.

Diebus autem insequentibus non semel eam, de qua supra dictum est, turrim Maximiliani milites omnium gentium aggressi, præterquam quod Citolum vulneraverunt,